

8. Q. 517. 61

B. M. II 433 01 64.

JOANNIS WERLHOFII

Juris Canon. & Feudal. Profefs. Publ. Ord.

II g
891

ORATIO
DE
LIBERTATE
ACADEMICA,

Cum

in Academia Julia

Pro - Rectoris munus

susciperet,

XX. Julii An. MDCCII.

in Juleo dicta.



HELMESTADII,

TYPIS GEORG-VVOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAALE)

K. 517.

~~Ac 02.~~



1777

1777

JOHANNIS WERTHOFF
Juris Canon & Feudal. Præf. Ord.

ORATIO
DE
LIBERTATE
ACADEMICA

Cum
in Academia Jalia
Pro-Regis minus

1777
XVII. Julii an. MDCCLXXVII
in Jalia facta

WELLESBACH

Typis Georgii V. Wagneri Hammel, Acad. Typogr.

1777
1777

UNIVERSITÄT
HAMBURG





Spectabiles omnium Ordinum

Decani,

Maxime Reverendi, Nobilissimi, Consul-
tissimi, Experientissimi, Clarissimi,

Domini Professores,

Collega honoratissimi,

Plurimum Reverendi Domini Pastores,
atque ceteri Hospites honorandi.

Tuque, amor noster & singularis cura,
in salubres communis boni usus sua-
viter succrescens,

genere, eruditione & virtute florentissima
optimorum Juvenum corona,

A 2

Aca.



Academici magistratus insignia, & hæc publicæ rei literariæ regendæ Sceptra, primâ hodie vice non sine singulari quadam animi commotione capio, quando ex amplissimo illo Patrum Conscriptorum numero, quo, cum Professoris ego Publici, Ordinarii, ante XVI, & quod excurrit, annos muneri admotus sum, Academia Julia præclare floruit, præter me non plures quinque amplius superesse, memeri præteritorum mente recordor. Mutatum seculum, mutatam Juliæ faciem; nova tempora, novam rerum seriem, habitumque video & perpendo. Tristia interea temporis haud pauca, lata alia contigere; idque inter gratiora haud minimum, saltem
mini-

minime molestum mihi accidisse candide
profiteri audeo, quod in liberali & dulcis-
simo literatis otio, extra Academici magi-
stratus cum dignitatem, tum annexa huic
onera & fastidia, vitam mihi haectenus, &
tamdiu agere licuerit. Mutanda nunc vi-
tae hoc semestri ratio, quia Academiae no-
strae leges, moresque, quia vestra, Patres
Conscripti, concordia suffragia, quia Se-
renissimi Principis ac Domini, Domini
GEORGII WILHELMI, Ducis
Brunsvicensium & Luneburgensium, Dire-
ctoris Academiae Magnificentissimi, Domi-
nique mei Clementissimi voluntas jubent.
Ac licet multa animo obversentur meo, quae
solicitudinem aliquam injiciant, unum ta-
men illud omnium maxime post Divinae
opis fiduciam, non voluptatem minus, quam
robur animi, firmitatemque parit, quod Tuis
Magne Heros, **GEORGI WILHEL-**
ME,

ME, auspiciis, Tua auctoritate, Sceptra
 Academica nunc gerenda sunt, quem inter
 Germanici Imperii Principes maxime se-
 nem, inter senes Principes maxime Heroem,
 inter Principes Heroes Optimum, Clemen-
 tissimum, elapsum abhinc biennio seculum
 venerabundum coluit, praesens sospitem
 superesse gaudet, serumque in caelos redire
 Julia nostra cum omnibus Guelphorum ter-
 ris, imo tota Germania, imo plures Euro-
 pae rei Rectores Summi, nationesque ex-
 optant. Dabis, Princeps Serenissime, Tuas
 pro virili vices gesturi Academicæ directio-
 ni pondus: proteges praepotenti Tuo praes-
 fidio ac tutela contra malevolos quosque,
 contra obrectatores, contra refractarios,
 boni me, rectique, Tuo nomine, eustodem,
 & constanti clementia devotissimum Tibi
 servum prosequi haud dedignaberis. Ex-
 citatoria etiam tanti principis auspiciis &
 jussu

M.E.

E.A.

7.
jussu Vestra, Patres Conscripti, bono pu-
blico devota pectora, illaque fides, illa in-
consilii dexteritas vestra, &, quod caput
arbitror, illa toties erga me multis rebus
cognita & explorata benevolentia vestra sin-
gularis, quin ad egregie exornanda & pro-
movenda literarum studia, ad stabiliendam
juventutis disciplinam, ad omnem denique
Academiae Juliae salutem, decus, dignitatem
& jura conservanda plurimum adminiculi
& subsidii praebitura sint, dubitare me non
sinunt. Nec minori de Vestro, in civilis,
in ecclesiasticae rei usus prognati Juvenes
ornatissimi, erga tam Magnificentissimi Di-
rectoris vices nunc subeuntem obsequio,
tum affectu etiam in nos peculiari, mihi
spe subblandior. Quos quo majus atque
insignius ad Academici nostri magistratus
tranquillitatem momentum collaturos, ubi
rectum *vera Academica Libertatis*, id est,
imper-

imperturbatæ tam in optimis quibusque disciplinis excolendis industriæ, quam virtutis & honestatis rectam & planissimam semitam, nobili & erecto animo sequemini, eo specialius mihi paucis ea de re nunc compellandi, atque cohortatione quadam vere sincera blande ac paternè commoneandi & excitandi eritis.

Confido quidem, nec ambigere fas est, Cita plerosque omnes Vestrum, o Optimi, eductos domi, eo animo in Academiam profectos esse, ut ad vitam bene & præclare agendam, ad melioris fortunæ cultum, ad explenda quandoque in Ecclesia, in Rep. sacra & civilia munia salutariter præparemini & instruamini. Quod si ergo is verus, ut esse optimo cuique debet, Academici civis scopus est, aptanda haud dubie finitima præclaro erunt consilia, & conatu nobili
ad

ad propositum studiorum, vitæque scopum probe & sollicite pro virili Vobis collineandum erit. Neque aliud sane sapientissimi Legumlatores, ampla adeo Academiis & Academicæ juventuti privilegia indulgentes, spectare, quam ut recta & salubria publico studia præclarissime efflorescerent, & ad omnis ibi doctrinæ ac virtutis cultum pubes ista liberalior, tanquam in nobili quodam & Ecclesiæ, & Reip. seminario foveretur. In damnosam studiorum cultui, in pestiferam bonis moribus licentiam ut libertas illa & privilegia porrigenda, vel, ut rem apertius exprimam, perverse detorquenda forent, nunquam illis in mentem venit. Atque id quidem est, florentissimi, dilectissimi que mihi, ut patri, Juvenes, in quo labi Vestrum non paucos, decipique graviter, quin se ipsos juxta cum aliis decipere sentio, doleoque, quod salubrem & decoram bene natis adolescentibus

B

bus

bus libertatem a licentia haud distinguant, & in iis, quæ germano, rectoque omnis Academicæ vitæ scopo penitus & directe adversantur, sibi privilegia quædam & propria quasi Academicæ Juventuti jura fingere, imo, quibus ipsi judicii sui vim obtundunt atque corrumpunt, subinde & aliis instillare principia non vereantur.

In Romanis Legibus *Libertatem* J^{ci} definiunt *facultatem faciendi, quod libeat*, sed cum memorabili hac adjectione, *nisi quid VI aut JURE prohibeatur.*

Equidem ne *Vis* Academicæ nostræ tranquillitatem atque studia vestra turbet, Summi Numinis providentia, Serenissimæque ac Potentissimæ Domus Guelphicæ præpotens tutela felicissime avertent. Atque vidimus Ipsi ante perpaucos menses abhinc elapsos illustre
&

II.
& dignissimum, cujus Julia sæpius recorde-
tur, exemplum providæ & excelsæ sollicitu-
dinis, qua is ipse, cujus ego nunc sublimi
nomine magistratum gero, Magnificentissimus
Academiae Director, Serenissimus Princeps ac
Dominus noster, Dn. **GEORGIUS
WILHELMVS** inter turbida tem-
porum, quæ serenior nunc iterum facies, Deo
fortunante, excepit, ita securitati nostræ &
tranquillitati prospexit, ut nec urbem no-
stram miles ullus contigerit, &, turbata ac
perterrefacta pene ubique vicinia, nobis omni-
bus in suavissima quiete agere licuerit.

Verumenimvero, quibus *Jura* limitibus
agendi, quæ lubet, facultatem salutariter cir-
cumscribunt, eos etiam Vobis, Cives carissi-
mi, sancte & constanter custodiendos, ser-
vandosque, non tam, quibus dextram, fidem-
que

que vestram adstrinxistis, salutaria Academiae
statuta, moresque soli praecipunt, quam vel
ipsum naturale rationis incorruptae lumen lu-
cide commonstrat.

Apud Romanos iterum *ſcotos*, nec dum
Christianae religionis luce illustratos, *aureum*
hoc *effatum* lego, quae facta laedant pietatem,
existimationem, verecundiam nostram, &
quae generaliter contra bonos mores fiant, nec
facere nos posse credendum esse. Utinam
vero *in Rep. literaria & Christiana*, cui tum
doctrina qualibet liberali & eximia, tum bo-
nis moribus juventutis florem imbucere, no-
bilis ac praecipuus scopus est, fieri, quae pie-
tatem, quae existimationem, quae verecun-
diam laedant, nostris nunquam oculis cerne-
remus! auribus non audiremus!

Memini quidem ego, inquirenti mihi
subinde, quibus studiis, quos *boni moris vio-*
lati

lati reos, mihi cætera non cognitos, in Senatu Academico deprehendi, aliquoties a Collegis responsum esse, *Theologia* navare operam. Adeone igitur etiam sacris literis atque sanctioribus studiis deditos licentiæ litasse juvat? Hæcine Deum propitiandi, hæcine in suggestu olim Populo præeundi via planissima? Certe si non aliter disciplina quælibet, quam, quæ ei contraria & adversa sunt, in propria discipulorum persona experiundo addisci potest, & per omnem denique vitiorum colluviem, peccata olim in suggestu redarguere cupientibus, & per podagræ, calculique, per hydropis & febrium, cæterosque in proprio corpore morbos, nimium quantum & periculose, & moleste, præceos Medicæ studioso eundem atque experimenta quærenda forent. Sed & *Jurium*

B 3

studio.

studiosos liquidissimo sæpe debito fere ex ob-
 stinatione mera maligne objectarum exce-
 ptionum ludibria, damni injuria dati repara-
 tionem longe æquissimam petentibus vana &
 iniqua, magistratui obsequium urgenti ca-
 quæ boni civis officio refragantur, partim in-
 verecunde, partim contumaciter opposcentes
 vel in ipsa Juris impegisse principia, falso ima-
 ginariæ libertatis conceptu seductos, pluries,
 nec sine multa sæpe Pro-Rectorum & Senatus
 Academici id contigisse molestia observavi-
 mus. Atqui veram, carissimi, non simula-
 tam philosophiam jura nostra & sacri cano-
 nes inculcant; neque civilibus minus, quam
 sacris olim, & quibuscunque tandem vel fun-
 cturos muneribus, vel vitæ genere usuros,
 honestatem morum, probitatemque sectari
 fas est. Et quis *Divinarum literarum, Juris,*
Medicina, sapientia omnis & bonarum ar-
tium studia tractantes, spreta Juris Divini, hu-
 mani-

manique norma, magistratus auctoritate, omnibus sanitatis atque sapientiæ regulis, in turpissimas subinde rixas & pugnas, in ædium, fenestrarum, quassationes, in perniciem propriam juxta & alienam, temere, effrenate, licentiose, ruere & prorumpere posse crederet, nisi fidem aliquando exempla facerent?

Gaudeo tamen pauciora apud nos esse tam effrenis licentiæ, contumaciæque improboris exempla; computationes quoque, præsertim inter melius natos, eductosque, minime frequentes; duella, vel rarissima certe, vel illiciti saltem conscientia gloriosam lucis claritatem averfantia. Sed quo magis, o Optimi, ea, quæ in Julia nostra perverse fiunt, nescio quidem ego, quo fato, sinistre divulgari alibi ac traduci nonnunquam solent, eo cautius nobis & mali mores, & sequioris famæ etiam semina vitanda sunt.

Et,

Et, ut libere, quod res est, proloquar, sicut in aliquibus hodierna *Iulia* facies veteri haud parum melior, ita in quam multis profecto etiam deterior eadem videtur, & ex seculi, nisi fallor, temporumque & rerum variato genio, habituque, ut boni, ita non minus aliquid quoque labis & corruptelæ traxit. Longe olim (ecquid enim dissimulem?) fervidior in plerisque studiorum ardor, quæ quam multis hodie recreationum, delicatiorisque & voluptuarii otii, venationum, aucupiorum & lusuum, quam laborum & operæ amantioribus revera pro *παρέργω* duntaxat, minime pro *ἔργω* haberi credas: Longe major olim erga eruditionem omnem, major erga doctrinam solidam & accuratam, major erga eandem solide & fideliter docentes amor & reverentia: hinc & studia non, ut nunc, præcipitata & cruda, sed matura & cocta: bonarum & elegantium literarum, quarum etiam

etiam nomine proprie quid intelligatur, multos nunc ignorare reperi, præstantia & usus magni & pro fundamento omnis accuratioris doctrinæ habita: philosophia non tam cursim, quam pro usu cujusque multa accuratior tractari solita: justus antiquitati honos: minor novitatis pruritus, indeque in movendis & impugnandis iis, quæ bene posita, diligens & provida circumspectio, monstraque & portenta periculorum publico opinionum divulgare pro piaculo habitum. In ipso civium juvenum Academicorum cœtu multi tunc ætate paulo jam provectiores, doctioresque junioribus mixti horum aliquando licentiam paulo imperitius evagantem veluti temperamento aliquo haud inepte moderari ac refrenare soliti, ipsi iterum Professorum, & qui doctrinæ, non licentiæ causa deligebantur, hospitem recte monitis, & peritia, usuque sapientiorum dictis audien-

C

tes:

res: pluraque ego, nisi vetera cum novis contendere nimis forte & longum, & odiosum esset, horum ego proferre possem.

Habent *qualibet tempora*, quod in illis laudare possis, quod desideres itidem merito & requiras. Neque vel ignarus sum, vel diffiteor, nullibi, nedum in *Rep. Academica*, ubi unice ex juvenibus fere, non malis illis quidem plerisque, sed iudicio & rerum usu nondum subactis, utilium tardis provisoribus & in vitium flecti cereis, cives constant, tam præclare cum humanis rebus agi, ut ad vivum omnia reserare liceat; imo etiam in fece Romuli, quamvis in *Rep. Platonis* præstet, sæpenumero vivendum esse, pedique calceum, non pedem calceo adaptandum. Verumenimvero absit Romuli ego fecem arbitrer nobilissimum, selectissimumque liberalioris juventæ cœtum, cujus ani-

mura

mum doctrina perficit, mores eadem mitigat
 & emollit, nec sinit esse feros. Absit, ut
 vanissimo certe, absurdissimoque ambitio-
 nis genere ex immodestia, ex conferta cum
 furoribus, sartoribusque manu, ex tumultuo-
 sis vociferationibus, ex contentionibus &
 turbis, ex effreni licentia, ex contemptu le-
 gum & contumacia, laudis quidquam & de-
 coris vobis quæri posse existimetis, ad veram,
 non ad falsam aut fucatam gloriam nata pe-
 ctora. Venistis ad nos, tanquam ad merca-
 tum quendam bonarum artium, non ad mo-
 rum corruptelas, non ad voluptatum & otii,
 ludendique, sæpe etiam oculis & crumenis
 valde exitiosa diverticula; non ad audien-
 dos Sirenum cantus, non ad Veneris degu-
 standam promulsidem, aut præfestinanda
 præcoci appetitu connubia; non ad Martis
 & Eridis palæstram, neque ad bella, pugnas
 & prælia, apud Rhenum & Padum, nequa-
 quam

quam in pace media & dulcissimo Musarum domicilio a liberalium artium studiosis, heroicæ scilicet fortitudinis affectatione, puta quali *Don Quixotum de la Manche* cum *Sancho Panca* suo nobilitatum Hispanica illa ingeniosissimi Michaelis Cervantis in tot Europæi Orbis linguas transfusa fabula celebrat, conferenda & depugnanda, dilectissimi nobis Juvenes & ad egregia & eximia quælibet bene Vobis cupientium integerrimis destinati votis. Quod parentes vestri, quod propinqui & curatores cupiunt & exoptant, tam scientia libentissime, cupidissimeque Vos augebimus, quam vitæ, morumque bonitate; & quod vere per naturam esse non possumus, præceptis, consiliis, affectu, modo recte præcipientes ac monentes sequemini, parentes Vobis & propinqui erimus. Quod si aliquando, ut res & necessitas poscere, & invitum quamlibet, ma-
 gistra-

gistratum cogere solent, minus grati aliquid
vel acerbius quiddam in nonnullos Vestrum,
me Pro-Rectore forsitan statuendum erit, vi-
tiis & delictis, non personæ nos irasci existi-
mabitur, æqua a nobis & candore nostro o-
mnia expectaturi.

Stet libertas Vestra, o Optimi, sed sine
licentia, & intra legitimos juris & honestatis
terminos illibata; stet statutis Academiae, ju-
ribusque priscus honos, sanctus & inviolabi-
lis vigor. Utque eo firmiter & tenacius,
quibus obtemperari fas est, *leges Academiae
Juliae*, in memoria civium Academicorum
hæreant, age Præstantissime & Doctissime
Domine *Bartholde Laurenti*, amice & con-
victor carissime, & consensu hac inferiori
cathedra, more veteri & solenni, *Leges*,
quibus Cives Academiae Juliae parere fas est,
Civibus Academiae Juliae rite, ordine, clara
voce, prælege, recita, pronuncia,

.BA

C 3

Post

* * *

Post leges solenniter prælectas.

* * *

Audivistis, Cives carissimi, breves, claras, sanctas & saluberrimas Academiae nostrae Leges, non tam ex humano placito, quam ex ipsis rectae & incorruptae rationis fontibus & Divinae sapientiae penetralibus haustas atque depromptas. Quae igitur ipsa hominis natura & ratio, quae omnipotens, sapientissimus & justissimus opifex & auctor naturae & rationis humanae Deus, quae Divinae sapientiae ac voluntatis perfectissimam normam secuti Legumlatores nostri Optimi, Serenissimi, saluberrime, sancte, sapientissime, volunt, jubent, imperant, iis sicuti sponte, sancte, inviolate, obsequi, parere, obtemperare fas est, ita sponte, sancte, inviolate, obsequimini, parebitis, obtemperabitis,

Ad.

Adsis vero Tu nobis, adsis Senatoribus,
 adsis civibus nostris & Academiae universae,
omnipotens universi Rector, per quem non
 Reges solum, Principesque regnant, sed
 minores etiam potestates quaelibet ac magi-
 stratus, occultiori quadam, at certissima sem-
 per, sanctissimaque providentia diriguntur.
 Serva Dominum meum, Principem Dire-
 ctorem Juliae Optimum, Clementissimum
GEORGIVM WILHELMVM;
 serva Juliae, serva terris nostris, serva adhuc
 diu Germaniae, meliorique Orbi tam carum
 pignus. Serva, fove, fortuna cum illo **SE-**
RENISSIMAM GENTEM
GVELPHICAM VNIVERSAM.
 Averte bellorum flammam, averte morbos, a-
 verte mala & nocitura omnia. Fove *Juliam*
 illam Tuam, nostramque; fove illam, con-
 serva & auge. Fortuna *vicarium nostrum*
regimen; & consilia da *Senatorum* bona, re-
 cta

(X 229 8530)

OK 1/9 89

24.

eta & defecata, ^{be} Discat Tuo spiritu inspi-
 rante sapere *Academica luventus*, & rectis-
 simum, qua eundum est, non qua perverse
 a multis itur, vitæ, studiorumque iter car-
 pere. *Bea singulos & universos*: bea omnes,
 qua *publice*, qua *privatim*; sitque id, quod
 debet esse, Academia nostra, religionis ve-
 ræ & doctrinæ omnis ac honestatis templum,
 Publicæque rei & in ea Ecclesiæ semi-
 rium perfecundum.



110



8. Q. 517. 61

B. M. II 433

JOANNIS WERLHOFII

Juris Canon. & Feudal. Profefs. Publ. Ord.

II g
891

ORATIO
DE
LIBERTATE
ACADEMICA,

Cum

in Academia Julia

Pro - Rectoris munus

susciperet,

XX. Julii An. MDCCII.

in Juleo dicta.

